Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26370
Copyright: Admont, Benediktinerstift

133

tione. quos interemptos in rhenum proiecerunt. Quod cum satrapa ille quem in-
uidere uolebant audisset, iratus est ualde, quod ad se uenire uolentes peregrinos non
permitterent. Et mittens occidit uicanos illos omnes, quorumque uicum incen-
dio consumpsit. Passi sunt autem praefati sacerdotes et famuli Christi v. nonarum oc-
tobrium die. Nec martyrio eorum celestia defuere miracula. Nam cum
perempta eorum corpora amni, ut dixi, a paganis essent iniecta, contigit
ut haec contra impetum fluuii decurrentis per xl ferme milia passuum
ad ea usque loca ubi illorum erant socii transferrentur. Sed et radius lucis per-
maximus atque ad celum altus usque omni nocte super locum fulgebat
illum, ubicumque ea peruenisse contigisset, et hoc etiam paganis qui eos occi-
derant intuentibus. Sed et unus ex eis in uisione nocturna apparuit
cuidam de sociis suis, cui nomen erat tylmon, uiro illustri et ad
seculum quoque nobili, qui de milite factus fuerat monachus, indicans
quod eo loci corpora eorum posset inuenire, ubi lucem de celo terris radiare
conspiceret. Quod ita completum est. Inuenta namque eorum corpora iuxta
honorem martyribus condignum recondita sunt, et dies passionis ut inuen-
tionis eorum congrua illis in locis ueneratione celebratur. Denique
gloriosissimus dux francorum pippinus, ubi haec comperit, misit et ad-
ducta ad se eorum corpora condidit cum magna gloria in ecclesia colonie
ciuitatis iuxta rhenum. Fertur autem quod in loco quo occisi sunt fons ebul-
lierit, qui in eodem loco usque hodie copiosa fluentis sui dona pro-fundat.

X.

PRimis sane temporibus aduentus eorum in fresiam,
mox ut comperit vvilbrod datam sibi a principe licentiam
ibidem praedicandi, accelerauit si posset uenire romam, cuius sedi